BN Lat. 3343, f. 45r

Ex parte studii Paris vel aliquorum particularium

Quamquam Meonio pede poscant magna referri
fata docent elegos tristia sicque cano
Sisilides muse dulci clamore canentes
Quondam sunt mute Pieris absque sono
Nec tua Phebe lira resonat facit hoc Midas unde
Auribus est asinus. et rudit absque modo
Iupiter heu numquid te progenuisse Minervam
Penitet ut vellas tradita vel minuas
Absit hoc a te qui summus reputare deorum
Nec puto quod possis hoc voluisse malum
Hanc voluere tui patres nec degenerescere
Sed sicut fuerat libera sic foveas
Unde tibi lumen adest sic lux cadat illa
Que toto semper lumen in orbe dedit
Forsan Ondart Merchar vel quis vice consulis vires
Hoc dabit unde tua fama perhennis erit in malum
Hi tollent hereses prohibebunt surgere sectas
et sicut fueras cultor eris fidei
Arrius et similes rediviva voce resurgent
Et fiet Christi talibus aucta fides
Suggerit Achitofel Pharaonis te cor habere
et prohibet Moysen dicere vera tibi
Postquam Vulcani fulmen silet ecce gigantes
Nunc iterum cupiunt pellere celicolas
Sed scio te cor habere bonum nec talibus aures
tradere sic et cum regna ruisse vides
Troia prius stabilis. astu tamen ruit Ulixis
Postquam Palladium ei sibi trufa dedit